



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 3. Iosephi Anchietæ, & Marci Senensis de pluua responsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. III.

*Iosephi Anchieta & Marci Senensis de pluvia
responsum.*

Iūno ex Elia discant, DEVM subinde Sanctis suis tradere habenas pluuiarum. Exemplum est recentissimum, in nostro Iosepho Anchieta, qui aliquando *iussit apparari reditum in crastinum. Erat tempestas turbida, densus imber, grauisq; ortus sub vesperam, nunquam cessauerat: & duraturus noctem totam videbatur. Obiecit ei comes: opportunam sanè, Pater, tempestatē ad iter elegisti. Cui Iosephus: Utinam tam simus ipsi viri boni, quam de nobis Deo cura est; non enim tantum die crastino, imber molestus nobis nullus erit, sed ne nunc quidem, tempestate tanta, ullus est, quā sumus cras iter facturi. Postero die iter manè ingressi, ad vicum S. Barnabæ, qui tribus inde distat leucis, quacunque inerunt via, tota, ad latitudinem triginta passuum solum siccum, ac nullo tentatū imbre, ad vicum usq; inuenerunt, cū circa loca omnia nocturnā pluuiā maderent. At non omnium est hæc potestas? Vexantur pluuijs multi? ita est. Hoc hominis meruit præuaricatio. Si in originali iustitia mansisset, mansisset in Paradiso, quem locum fons, in quatuor flumina diuisus, non molesti imbres irrigassent. Eò*

homi-

Sebastiã.
Beretar.
li. 4. vitæ
Iosephi
Anchie-
tæ,

Caspar.
Ens. li. 2.
Epidorp.

hominem inuitavit, & posuit; sed inde, ob repudiatam gratiã, exclusit. Faciant id homines, & DEVS contemptũ suum ferat? *Petrus Marcus Senensis amicum, celo admodum turbido, & non pluuias tantum, sed grandinem quoq; minante, iter facientem amatissimis verbis, ut in ades suas, quoad præterisset tempestas, diuerteret, inuitarat, is verò nihilominus iter prosequens, cum vix octauam milliaris partem emensus esset, tam effuso imbre, tamq; turbulenta tempestate exceptus fuit, ut pergere amplius nõ posset. Reuersus igitur ad Marci villam, fores pulsat; ac prospicienti è fenestra Marco, Amice, inquit, prius illud meum propositum mutavi. & ego meum, respondit Marcus: statimq; se subduxit, sic illi alibi hospitium fuit querendum. Voluit benignus mundi Conditor nos homines secũ esse, in Paradiso, quasi in villa sua, in qua deambulauit ad auram, post meridiem; ibi fuisset, ab imbre, & gradine tuti. Sed spreuimus locum, serpenti, quam DEO obediẽtiores: idcirco nos ipsos exclusimus, celo turbulentiore digni. Habemus ergo, quod volumus; & patimur tempestates. At mutauimus propositũ, & vellemus nunc libenter in Paradisum admitti? mutauit igitur & DEVS, propositum suum, nec vult nos amplius*

Gen. 3. 8.

amplius eò admittere: immo non mutavit: siquidem ab æterno, vno eodémque proposito, voluit nos iustitia originali ornatos ibi degere, spoliatos, inde in exilium pellere. Servassemus itaq; locum, si servassemus conditionem. Amissa gratia, cur expostulemus, si celo mitiore non fruamur, qui celum ipsum amiseramus? Et quam molles sumus, si aquarum aspergine lædi nos existimemus?

§. I V.

Ventorum vis & varietas.

At in aëre pugnantes variorum nominum venti fremunt, qui arbores à radice extirpant; silvas ac nemora prosterunt; classes disijciunt, tecta tegulis exuunt: fenestras perfrangunt; domos ac ædificia tota, quin & maxima urbium, turrèsque ipsas aliquando evertunt. Ut alia taceam, testatur Herodotus, Prefectos Xerxis, triduana tempestate, 400. naues amisisse. Quid tum? Hæc est potentia DEI, qui, si leuissima exhalatione tantam vim exerit, quid poterit, si ferro & igni, contra nos, pugnet? Sed est ventorum insuper ingens utilitas, maxima necessitas. Sunt enim etiam vermiculum & vehiculum nubium atque pluviarum, in aëre; hominum & navium in aqua; sunt aëris & aquæ ipsius con-

De ventorum nominibus Aristot. lib. de Mund. c. 2. Plin. li. 2. c. 47. Herod. lib. 7.

S. Chry-

serva-